
DE PROFESSIONE ARTIS

Heinrich Ernst Kestner, Casimir Moritz : de Donop, Valenti Gonzaga







§. I.



Nter ſtupenda Dei opera, quibus mirandam mundi aſpectabilis, operumque in eo viſibilium, machinam brevi dierum intervallo produxit, haud exiguum, quin potius maximum ferè locum occupat productio hominis, creaturæ omnium nobiliſſimæ. Siquidem dedit huic ſupremus rerum arbiter non ſolum corpus pulcherrimum ac ſtructuram elegantem, cujus figura omnium animantium formam vincit, ut ait *Cicero lib.* 1. *de Nat. Deor.* ſed cumprimis eundem ad imaginem ſuam condidit. *Gen. c, I, v.* 26. eique divinitatis particulam, ut eſſet organon laudis divinæ, nimirum mentem, inſevit, quâ nihil præſtantius in toto homine conſpicitur, imò qua proxime ad Deum ipſum accedit. Inde *Porphyrius lib. univerſ.* ſumus, inquit, rationales nos & Dii, ſed mortale appoſitum nos disjungit ab illis. Et *Muſonius* homo, ait, ſolus omnium in terra degentium Dei imago eſt, & ſimiles ei, cæteris paribus, virtutes habet, *add. Stob. ſermon.* 116. Ut adeo homo divinum illud cariſſimumque Deo animal ſit *Grot. de Jur. bell & pac. lib.* 3. *c. ult* §. *f.* *Dn. Praſ. Jus Nat. c.* 1. §. 1.

De Præſtantia hominis.

§. II.

De miseria hominis.

Verum quam præstabilis, quamque conspicua etiam sit hominis natura, dignitas & gloria, patet tamen, & communis evincit sensus, hominem, si penitius eum consideres, miserrimam esse creaturam. Quodsi enim durationem ejus respicias, stellæ, elementa, lapides, arbores, pleræque bestiæ, imprimis feræ, diutius durant & vivunt, quam homines, nec tantis reliqua animalia sunt obnoxia morbis ac homines, qui pluribus mediis conservandi se in educatione, cibo, potu, vestitu opus habent: imò bestiæ, ratione carentes, melius homine norunt media ad conservandam sanitatem & vitam utilia. Inclinant homines naturaliter ad alliciendos sibi morbos, & abhorrent à rebus sanitatem corporis conservantibus: plerique solliciti sunt de curandis aliorum morbis, negligunt tamen communiter scientiam curandi se ipsos. Adde, quod cura hominum longe difficilior sit quam cura bestiarum. Quod vero bona animi concernit, ingentem quoque calamitatis & miseriæ generis humani conflictum hic deprehendimus. Præditus est homo ratione, sed stulta, cum ea à teneris unguiculis usque ad extremum halitum ægrotet. Etenim lumen rationis perpetuo duobus præjudiciis, humanæ sc. autoritatis & præcipitantiæ, quasi obtegitur, quibus non laborat instinctus bestiarum. Veritatum cognitio, quam tamen, ubi ab affectibus est vacuus, facile & sine magno studio doctrinaque advertere potest, adeo apud ipsum turbatur ob præjudicia affectuum, ut regulariter verum pro falso, & falsum pro vero habeat, imprimis in doctrina de bono & malo. Plures & longe majores generis humani tum imbecillitates tum calamitates, & quod in homine præ brutis major ad nocendum proclivitas, astutia, impulsus ad venerem, habendi cupido, ambitio, petulantia & plurima alia vitia concurrant, plenius tangunt *Pufend. in tr. de Off. hom. & civ. lib* 1. c. 3. §. 4. & 5. *Thomas. in caut. circa præcogn. Jurispr. c. 1. §. 60. & seqq. ut & in Tr. Jur. Nat. lib. 1. c. 3. per tot. conf. Dn. Præs. Tr. de Prud. Legisl* §. 12.

§. III.

§. III.

Quicquid tamen hujus rei, ſive felicitatem, ſive miſeriam generis humani ſpectes, ſit, id tamen in confeſſo, & extra dubitationis aleam poſitum eſt, hominem non ad otia, ſed ad labores natum, & à Deo creatum eſſe. Patet hoc tum ex actione ſanctisſimi creatoris, quando hominem potentiis agendi, ſine quibus corpus ejusque ſanitatem conſervare non poterat, inſtruxit: tum ex medii neceſſitate, dum alias nec victum nec amictum ſibi acquirere, nec terram, quæ hominis cauſa condita eſt, excolere, & fructus inde provenientes ſibi applicare poterat. Imò nullus mortalium ſine actionibus concipi, nedum eſſe poteſt. Nam homo, ut homo, ſemper cogitat, & dum cogitat, mente agit ac operatur: imò, dum edit, bibit, dormit, utique aliquid agit: Et qui nihil agit, revera nonnihil agit, adeoque, ſive corpus ſive mentem aſpiciamus, homo ſemper aliquid agit. Vita proindè noſtra nobis à creatore conceſſa eſt, velut ſtadium aliquod, exſerendis ex dictamine rationis viribus noſtris, eoque illa non reciprocatione ſpiritus, ſed bonis actionibus metienda eſt. Odioſa & ſatis moleſta eſt illa vox, ſi quis inutile terræ pondus audit, ſibi inutilis, aliis gravis, numerus tantum, & fruges conſumere natus, aut cui in ſolo vivendi cauſa palato eſt. Rectè ait *Cicero de natura Deor. lib.2.* Mihi, qui nihil agit, eſſe omninò non videtur, & *Ovidius* præclarè canit, mors nobis tempus habetur iners, quantum enim diſtant à morte ſilentia vitæ: Unde in ſtatu ſanæ rationi adverſo vivunt, non ſolum qui ex facinoribus victitant, ſed & qui à muneribus vitæ communibus ſeſe præter neceſſitatem ſubtrahunt. Qui ſalaria ſumunt & conſumunt nihil agendo. Memorabile eſt, quod apud Chinenſes nemini ſano, quantumvis oculis orbato, mendicare permittitur, ſed hi molas truſatiles verſando victum ſibi parant, uti refert *Martinius in hiſtoria Sinica cap. 34.* Quia autem celeri lapſu ruit tempus, & inopinantes ſæpe mors obruit, ac nemini jam eam defugere licet, ideò & maturè vita

Homo ad labores natus.

 uten-

utendum, nec prolixa nimis tela actionum ordienda: Inter spem curamque, timores inter & iras, omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Denique & semper velut subductas vitæ rationes habere, & mature adversus terrores mortis animum obfirmare debemus, quo citra indignationem & trepidationem creatori, qvod precario dedit utendum, reposcenti resignare queamus: alius de alio judicat dies, & tamen supremus de omnibus. *Conf. Pufend. Jus Nat. libr. 2. cap. 4 § 15. & Dn. Præs. Prud. studendi Jura §. 1. & 2.*

§. IV.

Scopus argumenti.

Cum verò labores nostri, culturam tum animi (quæ præcipua est) tum corporis respicientes, utilitatem generis humani, seu magnæ illius, uti *Grotius* inquit, societatis intendere, proindeque gloriam Dei & proximi salutem promovere debeant, quilibet enim tum viribus animi tum corporis rempubl. juvare debet, facile consequitur, omnem, quæ ab hoc scopo discedit, laborem inanem, irritum & merè speculativum, sæpius etiam perniciosissimum esse. Eo igitur annitendum, ut quis utile Reipublicæ membrum evadat, ejusque commoda promoveat: Et cum infinitæ sint, quæ ad hunc scopum tendunt; artes, pro regendo & conservando genere humano inventæ, quilibet autem artem, quam profitetur, callere debeat, nemo enim, recte monente *Pufendorffio*, ullum in Republ. officium affectet aut suscipiat, ad quod sese ineptum deprehendit, non inutile pretium operæ me facturum esse arbitratus sum, si secundum *Pufendorffii*, mox dicti, utilissimum *de Off. Hom. & Civ. Tractatum*, ejusque inspecie *libr. 2. cap. 18. à §. 6. usque ad §. 15.* præstantiores artes, in Republ. obvenientes, pertractavero, & professionem harum exhibuero. Siquidem exactissima status & officii cujusque consideratio proderit, ut sciat quisque quid ipsi ratione illius status incumbat, quibus mediis ad id opus sit, an ipse capax sit ad actiones ejusmodi & media, an diligentiam hic debitam adhibuerit, & quomodo negligentia, hactenus commissa, sit emen-

emendanda. Quæ citra dubium capita ad jus publicum universale, à celeberrimis JCtis *Hubero* & *Bohmero* in formam artis redactum, spectant. Paucis autem pro indole Disputationis Academicæ hoc fiet, quia quælibet ars, mox exponenda, integrum facile tractatum implere posset.

§. V.

De Arte & officio imperantium.

Inter præcipuas & maximas, quod præmittendum duximus, artes, quibus genus humanum conservatur, præcipuo & primo sane loco referenda est ars regnandi. Quid sit tot millibus imperare, singulorum precibus aptè respondere, gentium nationumque diversarum mores formare, consiliis & armis tueri, sceptra justè regere, aut paucissimi satis anxiè examinaverunt, aut nemo. Revera videtur ars artium & disciplina disciplinarum hominem gubernare, qui certè est inter omnia animalia & moribus varius, & voluntate diversus. Homo enim ingratus, ferox, mobilis, naturaliter parendi nescius & libertatis amans, non nisi arte cohibetur & prudentia. Est igitur inter omnes artes ars maxima, quæ in regenda administrandaque Republica consistit. Cum enim summa potestas justitiæ tuendæ causa constituta, uniceque fundata sit: siquidem summi Principes Dei sunt vicarii, Dei in hisce terris vices tuituri, idque operaturi, ut pax & tranquillitas in societate humana conservetur, turbata autem restituatur, quem in finem civitates sunt stabilitæ, facilè consequitur, omnia Reges aut Principes media conquirere debere, quo hic finis obtineri possit, salus enim populi suprema lex est. Et cum hæc omnia sive ad pacis sive ad belli tempora, seu ad qvatuor ista cardinalia, qvæ in Republ. obveniunt, jura, nimirum jus Principis sacratum, legale, regale & armatum, reduci possint, ante omnia Principes ipsi diligenter discant, quæ ad plenam ejus officii & artis cognitionem pertinent, cum nemo laudabiliter exercere possit, quod non probè didicit. Unde, rectè monente *Pufendorffio in d. tr. de Off. hom. & civ. cap.* 11. §. 2. Principi sequestranda illa studia, quæ ad huncce

huncce finem nihil faciunt, circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus istum finem intercipiunt: ideò & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. Enimverò ut generalia artis prudentiæque rectricis præcepta ritè applicare norit, quam penitissimè ipsi conditio sui status subjectique indoles populi est cognoscenda. Illisque præterea virtutibus cumprimis studendum, quarum usus in tanta molis administratione maximè conspicitur, moresque ad tanti fastigii dignitatem componendi, quo de plenius egit *Dn. Praes. in tract. de Jurispr. Illustr. §.6.8.9.10. & in Prudentia Legislator. §. 28. seqq.* Memorat *Tacitus* de Tiberio, Augustum in hoc imitante: Eum proferri libellum recitarique jussisse, in quo publicæ opes continerentur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia & necessitates aut largitiones, quæ cuncta sua manu præscripserat Augustus: Optimum foret, si quælibet in republ. collegia quotannis Principi statum cujusque collegii subditorumque, & quomodo commoda Reipubl. promoveri, defectus autem sanari queant, per modum relationis aperire deberent. Ut autem tum interna tum externa civitatum tranquillitas obtineatur, necessum est, ut non tantum idoneæ hunc in finem leges subditis præscribantur, sed & publica disciplina ità sanciatur, ut non tam metu suppliciorum, quam assuetudine cives ad legum præscripta sese componant. Siquidem magnum hoc, ex tot diversis ingeniis conflatum, corpus absque legibus diu subsistere nequit, hinc rectè ait *Plato lib. 9. de legibus*: si homines absque legibus viverent, nihil à feris atrocissimis discreparent, &, nisi publica essent judicia, alter alterum vivum deglutiret. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 4.* Cum verò potissimum propter improbos leges condantur, multitudo legum certissimum status corrupti est indicium, & sæpe internam quietem & unionem

inter

inter subditos magis destruit, quam promovet. Dixerat jam *Plato*, indicium corruptissimæ Reipubl. esse, ubi multi Medici & Judices deprehenduntur. Docet pariter experientia, Imperantem plus bono exemplo, quam infinitis legibus Reip. prodesse; Regis enim ad exemplum totus componitur orbis: quin bonum exemplum est lex viva, quod subditi penitius intuentur, quam leges, quas imperantes contrario suo exemplo conculcant: & boni subditorum mores plus prosunt Reipubl. quam tot scriptæ leges: quin & quo simpliciores sunt leges naturales, cordibus nostris impressæ, eò aptiores sunt ad conservandam quietem internam, quo simplicius enim vivitur, eò minus corrupti sunt mores. Positivæ verò leges, quia ab hac simplicitate recedunt, ad plures lites solent suppeditare occasionem, imò per has sæpe luxus, ambitio & avaritia, velut sentina omnium malorum, augentur, ut nonnulli non iniquè dixisse videantur, leges non rarò esse instrumenta dominationis. Legibus itaque civilibus plura non sunt sancienda, quam quæ ad bonum civitatis & civium conducunt. *Confer. Dn Böhmer. introduct. in Jus publ. univers. lib. 2. cap. 3. §. 1. & seqq.* & de prudentia leges condendi *Dn. Præs. Disput. de Struct. Leg.* Præterea competit imperanti jus mediis sanæ rationi convenientibus subditos constringendi, & potentiam eorum minuendi, ne quid audere possint contra statum publicum, frustra enim de remediis contra morbos, Rempubl prementes, quæstio instituitur, nisi fontes morborum fuerint detecti. Malum istiusmodi internum statui publico imminet vel à nimia paucorum autoritate & potentia, vel à nimia plebis libertate, utrumque gravissimas communiter turbas & factiones excitare solet: ita tamen hisce malis obex ponendus, & in genere jus reformandi exercendum est, quatenus absque majoris mali metu fieri, & status Reipubl. illibatus servari potest, alioquin non iniquè Imperans quædam Reipubl. incommoda & mala tolerat, ne totum corpus interitui exponat: istiusmodi etiam media ità debent

esse

esse comparata, ne juri publico universali adversentur: quo posito, nullum jus imperanti competit è medio removendi eos, quos sibi & Reipubl. suspectos credit, cum adversus metum incertum saniora adsint consilia. Ulterius in exercitio juris reformandi causæ morborum spectandæ sunt. Causa morbi interni potissimum ex vitio status, per leges publicas malè adornati, resultat, quando hæ vel turbas movent, aut id operantur, ut negotia publica, ea cumprimis, quæ securitatem internam respiciunt, segniter & difficulter expediri queant. Neque tamen Imperanti jus competit sub prætextu melioris status introducendi leges fundamentales, quibus ipse ligatur, dissolvendi & annullandi, atque alium statum adornandi, nisi fiat consensu eorum, quorum interest. Quia autem frustra feruntur leges, si impunè eas violari tolerent summi imperantes; igitur horum est, executionem earundem procurare, &, ut quivis suo jure potiatur citra lentas moras, elusiones atque vexationes, efficere: pœnas quoque sumere pro cujusque facti conditione, transgressorisque intentione & malitia, nec sine sufficiente causa veniam indulgere. Siquidem remissio pœnarum debet fieri (1) sine læsione juris publici, (2) privati, (3) parce, (4) prudenter. Uti autem nihil pœnis est sanciendum, quod non ad usum civitatis facit, ità pœnæ quoque sunt temperandæ, ut ad finem istum proportionem habeant, utque adeo cives non plus afflictionis, quam Respubl. utilitatis inde ferat. Ad internam Reipubl. tranquillitatem cumprimis facit, ut doctrina christiana pura illa & sincera in civitate vigeat, ac in scholis publicis talia tradantur dogmata, quæ cum fine civitatum conveniunt. Siquidem officium Principis circa sacra in eo consistit, ut floreat in Republ. vera religio & pietas, (hæc autem magis in obedientia erga ejus præcepta universalia, quam in speculationibus mysteriorum quærenda) ut ritus & ceremoniæ externæ in Republ. nec abundent, nec deficiant: abundantia facile dat occasionem superstitioni, defectus carentiæ religionis.

Cere-

Ceremoniis externis opus ob vulgus & plebem, abundantia cavenda, ob totum populum: præcepta tamen amoris & virtutis in Republica magis doctrina & exemplo, quam legibus pœnalibus ſtabiliuntur. Tolerandi errantes, non perſequendi, modò pacificè vivant: perſecutio errantium, & poteſtas excommunicandi, clero indulta, ſunt ferè unicum & potiſſimum fulcrum extorti Principibus à clero imperii circa ſacra. Quod ſi verò errantes hanc tolerantiam reſpuant, emigrent: ſi pacem publicam turbent, juſtè pœnam incurrunt. Ceremoniæ ſuperſtitioſæ violenter non ſunt tollendæ. Optimum autem hoc poſteriori in caſu remedium erit, ut populus ſermonibus placidis & rationalibus de ſuperſtitione ceremoniarum convincatur, & libertas permittatur cœtui errantium iis utendi & non utendi. Maximoperè verò proſpiciendum erit miniſtris eccleſiæ, ne amittant alimenta per ſublationem ejusmodi ceremoniarum. *Dn. Thomaſ. caut. circ. præcogn. Juriſpr. Eccleſ cap. 17. §. 35. usque ad finem.* De bello, de tributis, de incrementis civium & quomodo illa temperanda, hæc promovenda, infra agetur.

§. VI.

Perſpectis in genere illis fontibus, quæ artem regnandi concernunt, & cum Princeps ſolus omnia obire non poſſit, ſed opus habeat magiſtratibus & miniſtris, quibus tanquam oculis & auribus manibusque & pedibus utitur, ipſe verò in ſumma Reipublicæ arce reſidens cuncta contempletur. Siquidem conſilium Principi idem, quod omnes ipſius ſenſus, ipſius intellectus, ipſius memoria, ipſius denique oculi, ipſius aures, vox atque manus ipſius; populo verò eſt pater, eſt tutor, eſt curator: Neceſſum jam eſt, ut artes multifariorum in Republica miniſtrorum officialiumque ſecundum prææallegatum *Pufendorffii libellum de Offic. Hom. & Civ. & quidem ex cap. 18. §. 7. & ſeqq.* demonſtremus. *Connexio dicendorũ.*

§. VII.

Ex Pufend. Tr. de Off. ejusque lib. 2. cap. 5.

Qui consilio suo rectoribus civitatum adsistunt, in omnes Reipubl. partes aciem mentis convertant; quæ ex usu Reipubl. videbuntur esse, dextrè & fideliter citra affectus ac pravos respectus exponant; salutem Reipubl. in omnibus consiliis pro scopo habeant, non proprias opes, aut potentiam: pravis affectibus principum adulando non velificentur, factionibus & coitionibus illicitis abstineant: nihil, quod dici oportet, dissimulent, nihil, quod taceri oportet, eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles sese præbeant; privatis suis negotiis aut voluptatibus publica negotia non posthabeant.

EXEGESIS.

§ 7. De officiis & arte ministrorum.

Qualitates & virtutes tum ministrorum tum consiliariorum latius exposuit *Dn. Præs. in Tr. de Jurispr. Illustr. §. 21.* Minister status πολυματής, i. e. in omnibus scientiarum & artium generibus, quæ ad tam arduum munus requiruntur, instructissimus esse debet, similis enim est inexhausto mari, in quod omnes sapientiæ & artes ingrediuntur, & arcano quasi modo in utilitatem Reipubl. rursus egrediuntur. Tenentur itaque summi imperantes ad munera civitatis adhibere viros probos & idoneos, & in eorum acta subinde inquirere, eos denique, prout rem gessisse deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare, quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam, rem tractan-

tractandam, Optimè docet *Plato*, non tantum ſitum eſſe in legibus condendis, quantum in magiſtratibus bonis: *vid. Dial. 6. de republ.* Rectè autem monet *Puſendorffius*, illa à Conſiliario, remotis affectibus & pravis reſpectibus, eſſe peragenda, quæ uſum, quæ ſalutem Reipublicæ pro ſcopo habent, ſalus enim populi utrobivis immutabilis debet eſſe lex & perpetua agendi norma. Ubi autem affectus, ubi munera, quæ homines Deosque placant, imperium tenent, ibi non niſi infeliciſſimus Reipubl. ſtatus eſſe poteſt. Maximum ſtudium, maxima hominis cultura in reprimendis pravis affectibus, qui omni momento nos premunt, conſiſtit. Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit, mœnia, id quod principia honeſti ſatis docent, quo de conferri meretur *Dn. Thomaſ. in Tr. de Fundam. jur. nat.* Verum quidem eſt tritum iſtud: qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare, ut proinde Conſiliarius, exigente publica ſalute, & ſimulare, & diſſimulare, & tacere debeat. Nam cui grave eſt tacere, ab eo magnæ res ſuſtineri nequeunt. Magnum eſt Reipubl. munimentum conſilia habere ſecreta; ignorata conſilia omnibus partibus minantur, valentque non parum ad inimicitiam noſtram aliorſum diſtrahendam: nimia fiducia ſervituti obnoxia eſt, & qui nimium patet, ſuus eſſe non poteſt. Nihil tamen, uti Autor rectè monet, quod dici oportet, diſſimulent, nihil, quod taceri oportet, eliminent. Siquidem bonus Conſiliarius non debet celare veritatem, patriæ & principi utilem, etiamſi in periculum vitæ inciderit. Melius enim & laudabilius eſt perdere vitam, quam ſupprimere ſalubre conſilium. Non verò, ſi juramentum ſuum religioſè ſervare velint, privata negotia aut inanem voluptatem publicis negotiis præferre debent. Cogitent Conſiliarii ſerio ſeduloque, an, quod aggrediuntur, Reipubl. utile, Deo gratum, gerentibus glorioſum, & promtum effectu, vel certe non arduum ſit. Sit adeo Conſiliarius ſermone acutus, in reſponſis promtus, facilis ad intelligendum, in inſtruendis aliis expeditus & clarus, in facetiis jucundus, in ſeriis circum-

 ſpectus,

ſpectus: ſciat ſe iis, quibuscum habet aliquid negotii, accommodare, ſive illi boni, ſive ſint mali, ſemper tamen ſalva ipſa virtute. Opera ingenii magni ſunt viva, ſunt efficacia, aſſidue eſt occupatum, vult videre omnia, audire omnia, tangere omnia, prætermittit nihil, legit quam plurima, confabulatur cum omni genere mortalium, ſcire avet præterita, intelligere præſentia, aſſequi futura vel ipſa etiam conjectura. Imprimis verò Conſiliarii ea, quæ Principis perſonam, dignitatem, regalia & jura tam ſacra quam profana concernunt, reſpicere, & quomodo hæc tum conſervari, tum licito modo augeri queant, prudenti conſilio ſuppeditare debent, quo nomine exactam totius territorii, omniumque in eo viventium cognitionem, qualia ſtatus, qualia ſubditi privilegia, jura & conceſſiones habeant, item fœdera, ſanctiones & pacta, ſive cum extraneis principibus, ſive cum ſubditis inita, accurate noſcant, & hæc omnia, cumprimis quæ in ſtatum publicum influunt, in peculiari libro colligant, quo de conferri meretur *Seccendorff* in den Teutſchen Fürſten-Staat / ubi in fine ſubjicit einen ausführlichen Entwurff etlicher Beſtallung der vornehmſten Aempter: addi debent *Dn. Lüningii* opera, quando talia & alia documenta, publicum ſtatum concernentia, in vaſtiſſimis nuper operibus laudanda induſtria collegit. Interea circa aulicam vitam duos ſubjungimus verſiculos: Aula locus, fortuna ſuos ubi lubrica ludos ludit, & eludit, nunc hos, nunc dejicit illos. Interea, ſi placeas Chriſto facilis jactura potentum eſt, latius imperium Cæſare Chriſtus habet.

§. VIII.
Ex Pufendorff.

Qui publice conſtituti ſunt ad ſacra obeunda, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum,

quæ

quæ ipsi docent, populo sese conspicuum exemplar exhibeant, nec pravitate morum muneri suo dignationem, doctrinæ pondus detrahant.

EXEGESIS.

§. 8. De Officio sacra docentium.

Arduum est Dd. ecclesiæ officium, quod in interpretatione doctrinali verbi divini, in adhortatione ad amorem Dei & proximi, in coërcitione & animadversione impiorum placida, in consolatione & erectione infirmorum & fidelium, &, ut paucis dicam, in docendo, hortando, monendo & arguendo consistit. Proinde Doctor Ecclesiæ pensitare debet quid loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur, si enim horum unum deficiat, locutio apta non erit. Quare inutiles disputationes, intempestivæ condemnationes hic procul abesse debent. Siquidem christianæ Theologiæ veritas citius impetratur orando, quam invenitur disputando. Plus proficit amica correctio, ex sincero christianoque amore suscepta, quam accusatio turbulenta, illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Plus juvat optimum doctoris exemplum, quam mille adhortationes. Quin tota religionis vis in eo consistit, ut merito Christi innixus Deum ante omnia, proximum verò sicut te ipsum ames. Lubet hic aliquas studii Theologici cautelas ex illustris *Thomasii Cautel. circ. præcogn jur.* referre, & quidem ex *cap.* 18. *§.* 23. (1.) Sapientis fidem & Theologiam non debere esse carbonariam. (2.) Sapientem debere intelligere ea, quæ in Theologia credit. (3.) Scilicet eo modo, ne credat impossibilia & contradictoria. (4.) Unde & dicta Scripturæ sic exponenda, ne inde sequatur contradictio. (5.) Solam Scripturam non irrationabiliter explicatam esse judicem controversiarum theologicarum. (6) In studio theologico quærendos esse terminos rationis & fidei. (7.) Non omnia vera esse, quæ dicuntur ab orthodoxis de heterodoxis, sed hos ipsos esse audiendos vel legendos.

gendos. (8.) Non odio esse prosequendos heterodoxos. (9.) Cavendam esse Theologiam scholasticam, tanquam fontem litigiorum theologicorum. (10.) Eamque etiam in nostris Academiis à fermento doctrinarum ineptarum nondum esse satis purgatam. (11.) Serio operam dandam studio historiæ ecclesiasticæ genuinæ utriusqve fœderis. (12.) Non esse præstandum juramentum religionis contra conscientiam. (13.) Cavendum esse à studio theologico, solis mysteriis speculativis incumbente, neglecto mysterio pietatis. (14.) Nihilominus tamen & studium pietatis caute tractandum. (15.) Cavendum à scriptis Theologorum, pietatem apertè impugnantium. (16.) Item à studio calumniandi dissentientes, etsi impune aut sub spe præmii.

§. IX.

Ex Pufendorff.

Queis publice injunctum, variarum scientia rerum animos civium imbuere, nihil falsi aut perniciosi doceant: vera autem ità tradant, ut auditores iis assentiantur, non tam assuetudine audiendi, quàm quia solidas eorundem rationes perspexerunt: omnia dogmata, ad societatem civilem turbandam directa, fugiant; omnem scientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

EXEGESIS.

§. 9. De Disciplinis in genere.

Recte monet autor noster, ea cumprimis studia esse pertractanda, quæ manifestissimum in rebus humanis usum sistunt: siquidem doctrina ad facta tendere, & non otii, aut dissertationis causa, adhiberi debet, inutilia studia non studia,

sed

ſed temporis diſpendia ſunt. *Confer. Dn. Præſ. Diſſ.* 1. *de Valore Digeſt.* §. 1. Quam verò communiter ab hoc ſcopo diſcedatur, & orbis terrarum inutilibus plerumque quæſtiunculis torqueatur, experientia quotidiana non clamat, ſed exclamat. Pulchrè ait *Mr. l'Abbe de Bellegarde in tr. Reflexions ſur le ridicule dans l'avertiſſiment P.* 2. *in fin.* La plûs part des choſes, dont on diſpute avec tant de chaleur ſont frivoles, & de nulle conſequence, mais l'on ſe fait un point d'honneur de remporter une victoire chimerique. Omnia, uti diximus, ſtudia in gloriam Dei & utilitatem Reipubl. tendere debent. Siquidem ſapientia eſt cognitio veri & boni, conjuncta cum boni deſiderio & praxi. Vera ſapientia, remotis præcipitantiæ & autoritatis humanæ præjudiciis, vivam boni humani cognitionem involvit. Fruſtra enim cognoſcitur verum, niſi & bonum cognoſcatur, fruſtra bonum cognoſcitur, niſi adſit conſtans boni deſiderium ejusque actio & praxis. Praxis autem absque cognitione non datur. Veritas eſt convenientia cogitationum noſtrarum cum natura rerum. Natura rerum cognoſcitur experientia & meditatione. Fundamentum cognoſcendi eſt rectus ſenſuum & idearum uſus. Bonum eſt, quod potentias hominis conſervat & corroborat. Ducit ad hanc nos agnitio propriæ miſeriæ, & inde profluens ſapientiæ deſiderium, medium ad hanc perveniendi nobis ſiſtit tritum iſtud: Ora & labora. Sufficiunt hic tres libri, liber naturæ, liber conſcientiæ & liber Scripturæ, in qua nempe ſcriptura omnes partes, ad veram ſapientiam & ſui ipſi' naturæque cognitionem & felicitatem ſpectantes, item officia & jura omnium omninò hominum, in quocunque ſtatu viventium, pleniſſime exhibentur. Ordo autem in ſtudiis obſervandus tribus ferme monitis: ne quid intempeſtive, ne quid confuſe, ne quid absque fructu fiat, abſolvitur. Studioſus adeo ſapientiæ diligenter viros doctos audiat, ſelectos libros legat, lecta & audita ſedula meditatione recolat, ac denique prudenter converſetur, & hæc omnia ità temperet, ut alternis

vicibus

vicibus ſibi ſuccedant, nunquam eum obruant. Illa igitur ſtudia amplectenda, quæ pacem, felicitatem & commoda generis humani promovent. Illa autem ſtudia, quæ vel vanam ſpirant eruditionem, aut in meris conſiſtunt ſpeculationibus, ſequeſtranda ſunt. Ad ſtudia generi humano proficua ſpectant Medicina, Theologia cumprimis practica, vera Jurisprudentia, ſanior Philoſophia, diſciplinæ mathematicæ v. gr. arithmetica, geometria, architectura civilis, hiſtoria. Equidem Facultas Medica viam monſtrat, quomodo ſanitas corporis conſervetur, & turbata reparetur. Jurisprudentia docet modum pacem externam politicam promovendi, conſervandi, reparandi. Theologia docet ex lumine revelationis modum perveniendi ad pacem internam conſcientiæ, à qua dependet felicitas futuri ſeculi. Hiſtoria & philoſophia ſunt duo oculi ſapientiæ, hæc tradit regulas, illa ſuppeditat exempla. Regulæ prudentiæ & morum juſti, decori, honeſti, ex philoſophia hauſtæ, per facta hiſtorica illuſtrantur, & in plena quaſi luce collocantur: iſtæ verò regulæ faciunt, ut de actionibus ab hiſtoricis, in literas relatis, prudenter judicare queamus. Idoneus autem de veritate hiſtorica judex imprimis callere debet communem naturam humanam & peculiare temperamentum morale perſonæ, de qua agitur, item ſtatum & conditionem Reipubl., in qua hæc vivit. Debet prudentia callere dijudicandi, an & quousque fidendum ſit hiſtorico? an partibus addictus, an nimis credulus fuerit? unde ſua hauſerit? an rem ſine amoris aut odii vel alterius affectus indiciis proponat? an nimis affectet, ut lectorem de veritate rei, quam deſcribit, perſuadeat: &, ut verbo dicamus, quatuor proprie boni hiſtorici requiſita ſunt, ut nimirum ſufficientem habeat rerum, de quibus ſcribit, notitiam, ut veritatis ſit ſtudioſiſſimus, ut ſtylum decenter adhibeat, ut judicio morali & politico inſtructus ſit. Optimum verò hiſtoria uſum ſiſtet, ſi quis in hac deprehendat imagines virtutum & vitiorum, morum honeſtorum & turpium, & quod

De hiſtoria & officio hiſtorici.

& quod his uti poſſit tanquam præparatione ad prudentiam politicam acquirendam.

De linguis.

Adminicula ſapientiæ acquirendæ ſunt linguæ. Loquitur ſapiens ut intelligatur, linguæ non tam ex regulis grammaticis, quam uſu & exercitio addiſcuntur. In autoribus legendis à talibus initium faciendum, qui & intellectu faciles, & lectu jucundi. Lingua latina cuivis erudito proficua, ſed & lingúa Hebraica, Græca, Italica, Hiſpanica, cumprimis Gallica, Germanica & Anglica maximam tam in ſcientiis, quam in publicis negotiis utilitatem oſtendunt. Eo autem in linguis annitendum, ut ſecundum genium cujusque linguæ benè & perſpicuè mentem noſtram exprimamus, & adeo à nimia brevitate, verboſitate & obſoleto loquendi aut ſcribendi genere, ut et inani ſyllabarum & literarum aucupatione abſtineamus.

De poëſi & oratoria.

Uti Grammatica recte, ita poëſis & rhetorica ornatè loqui docent, illa in ligata, hæc in ſoluta oratione, quæ iterum magis uſu & frequenti lectione, quam multifariis præceptis addiſcuntur. Siquidem oratores naſcuntur, nec adeo arte præparantur. Vera oratoria eſt ars ornate & ordinate dicendi eo fine, ut homines reddantur ſapientes, probi & honeſti. Fucata autem affectus per varios colores quæſitos commovet. Præſupponit oratoria præcepta prudentiæ. Doctrina moralis oſtendit, quid loquendum. Prudentia & decorum auditorum animos conciliant. Hiſtoria exempla ſuppeditat & argumenta. Tres autem perſuaſionis, in qua oratoris vis & virtus conſiſtit, ſunt fontes, autoritas loquentis, diſpoſitio audientis & artificium ſeu modus loquendi. Fugiendus itaque in oratore eſt humilis & ſublimis ſtilus, qui communiter profunde obſcurus, inflatus, jactabundus & floribus poëticis nimis abundans eſſe ſolet. Medius ſtilus non excludit ornatum loquendi, ſed hic magis in modeſta & gravi perſpicuitate, quam in artificioſe conquiſitis vocabulis & figuris quærendus. Media igitur via amplectenda, ut ſtilus nec vaga verboſitate tædioſus, nec nimia brevitate obſcurus, ſed potius ità temperatus ſit, ut

ſemper magis in cogitationibus, quam in verbis largior inveniatur. Cum verò ars oratoria ſingulare Dei donum, & belli pacisque temporibus valde neceſſaria ſit, qua nec Principes, nec Miniſtri, nec omnes illi, qui regendæ Reipubl. admoti ſunt, carere poſſunt, & quia tum publicis tum privatis collocutionibus negotia humana determinantur, hanc maximo cum ſtudio excolendam eſſe, nemo negabit. Politicus etſi non debeat eſſe loquax, quam maxime tamen debet eſſe eloquens, & artis perſuadendi probe peritus.

De Logica. Docet per jam dicta vera philoſophia, quomodo ratione recte uti, & honeſte vivere debeamus. Cognitio veritatis dependet ab intellectu, ejusque vires & limites examinat Logica, voluntatis corruptioni repagulum opponit Ethica ſeu doctrina moralis. Ratio donum Dei eſt, quam non excolere, ſed contemnere, id verò idem eſt, ac pro beneficiis ingratum ſemet exhibere. Fundamentum cognitionis omnis ſunt ſenſus, qui, ſi recte conſtituti & adhibiti, nunquam fallunt. Et inde ratio in ſe conſiderata, & ſenſus, tanquam inſtrumenta ſua, decenter adhibens, ſemper recta eſt. Examinanda eſt finitudo intellectus, cum ſat arcte cognitionis humanæ limites ſint. Maxima intellectus noſtri infirmitas eſt. Diſtinguere debemus inter veritates certas & propoſitiones inutiles, cogitantes, pauca à nobis certo ſciri, multa probabiliter tantum cognoſci, plurima ignorari. Dubitatione quidem hic opus, ſed modeſta, ſed erudita, in recta ratione fundata, & ex gravi prægnantique cauſa ſuborta. Cumprimis verò tum autoritatis tum præcipitantiæ præjudicia vitanda, opus pariter hic eſt doctrina de interpretatione. Doctrina ſyllogiſtica verò nihil confert ad inveniendam veritatem, ſed eſt ſaltem modus in academiis receptus.

De matheſi. Matheſis exhibet doctrinam de quantitate. Studia mathematica ſunt longè utiliſſima, utpote quæ non ſolum ſtultis, ſed & ſapientibus ſuccurrunt, cum reliquæ facultates & diſciplinæ vel impietatem, vel inſignem hominum ſtultitiam præſupponant. Ità Theologia ſupponit

impie-

impietatem, Jurisprudentia bella & rixas, Medici ex intemperantia aliorum potiſſimum vivunt. Et Arithmetica quidem, quæ fundamentum reliquarum eſt, non ſolum purgat intellectum à præjudiciis, & judicium acuit, ſed & omnium ſtatuum hominibus, imo ipſis omnium facultatum eruditis eſt utiliſſima. Patribus familias, agricolis, mercatoribus, mechanicis, militibus, aulicis, cumprimis cameralibus valdè prodeſt eadem, & nocet ejus ignorantia. Geometria præcipue opus habent agricolæ, mechanici & camerales. Muſica multa admiranda habet, ratione effectuum & recreat & commendat. Optica valdè delectat, & ſine ea pictura inanis eſt. Calendariorum uſus magnus eſt. Architectura inſervit commoditati, acquiſitioni, defenſioni & omnibus gentibus accepta eſt tam in bello quam in pace. Nobilisſimam eſſe diſciplinam, qvæ mores format, voluntatem emendat; & ad ductum naturæ & ſcripturæ convenientem de vera felicitate hujus vitæ modum, mediaque ad eam perveniendi ſuppeditat, nemo in dubium vocabit. Intentio autem generalis medicinæ moralis eſſe debet, ut paſſiones excedentes deprimantur, deficientes excitentur, & ità omnes tres cupiditates quaſi ad æquilibrium redigantur, in quo æquilibrio adeo quærendus eſt conceptus amoris rationalis. Equidem ſapiens vir quotidie in agnoſcenda & oppugnanda imbecillitate propria pergit, atque affectuum, etiam moderate noxiorum, ulteriorem moderationem ſibi comparare intendit. Spectat huc doctrina de decoro, ſecundum quam homo cum ratione intendit ſibi parare amicos. Parantur autem amici amore & factis laudabilibus, amorem aliorum teſtantibus, amor vero declaratur per actiones externas tanquam ſigna. Signa ſunt vel communia omnibus hominibus, vel peculiaria ſingulis. Illa pertinent ad decorum juris naturæ, hæc ad decorum ſtricte dictum ſeu politicum. Decorum politicum autem eſt imitatio rationalis, ex virtute complacentiæ orta hominum noſtri ſtatus, qui pro præcipuis ac præſtantiſſimis

De Ethica.

De Decoro.

haberi solent in actionibus, quæ non repugnant regulis universalibus honesti, decori & justi. Regula est: conversare cum decore viventibus, attende ad eorum mores, imitare eos. Uti verò Ethica quid honestum, quid decorum, ità politica, quid prudens & utile sit, exponit, & vel publica vel privata est: illa, quomodo Respubl. regi, ejusque incrementa promoveri debeant, exponit, quo de jam actum & ulterius agetur, & ethicam præsupponit; quomodo enim alios reget, qui se ipsum regere nescit: hæc verò regulas tradit, quomodo homo in quocunque statu actiones suas prudenter instituere debeat. Physices studium maximam affert utilitatem, meritoque excolendum, quid enim pulchrius, quid præclarius, quam admiranda naturæ opera intueri. Verum effectus saltem in physicis videmus, causæ internæ formatrices latent, nec per ullas sectiones anatomicas, microscopia aut inventa nostris sensibus possunt exhiberi, imò & tenuissimæ materiæ particulæ sensus nostros fugiunt. Apodictica rerum physicarum scientia generi humano plus fortè damni, quam commodi, afferret. Quotusquisque enim ea uteretur ad bonum finem? Alchemiæ, veneficiis, operationibus magicis non exiguus hominum numerus incumberet. Quod causas & principia corporum naturalium concernit, verosimile videtur, inesse illis vim aliquam agendi invisibilem & potentias operatrices, ista vis materiæ tribui non potest, cum hæc sit ens mere passivum. Magna Physicam inter, Medicinam & Ethicam est affinitas. Ex natura fluunt mores, naturam hominis considerat physicus, quidni & naturam affectuum! curatio eorum pertinet ad doctrinam moralem, quæ naturam aberrantem quoad morbos animi corrigit, uti medicina quoad morbos corporis. Ante omnia verò serio meditaberis, sanam philosophiam esse præparationem ad mortem, adeoque mortem non esse timendam sapienti tanquam omnium terribilium terribilissimum, sed expectandam quiete, tanquam rem magis bonam, quam malam, interim Deo rationem esse reddendam

De Politica tum publica tum privata.

De Physica.

De Medicina.

dendam de mortis ſpontanea acceleratione, aut neglecta cura ſanitatis & vitæ. Anima ſuo modo eſt vita hominis, & conſiderari poteſt vel prout dictamen rectæ rationis obſervat, eique obſequitur, vel prout ægrotat, id eſt paſſionibus & affectibus eſt obnoxia. In prima conſideratione morbis corporis reſiſtit, in ſecunda morbos accelerat. Ratio hominis corrupta, & affectibus obnoxia, plerorumque morborum cauſa. Ex quo apparet, quod fruſtra medico ſtudio operam daturus ſit ſtudioſus ſapientiæ, ſi ſanitatem corporis quærat absque cura animi, & quod dimidium cœpti obtinuerit, ſi incipiat à cura affectuum humanorum ſeu morborum animi. De quibus omnibus per indicem à nobis relatis & excerptis conferri merentur *Illuſtr. Dn. Thomaſii Caut. circ. præcogn. Jurispr. per tot. & celeberrimi Bierlingii noſtri Lineamenta Methodi Studiorum. Conf. etiam quoad Politicam privatam Heumanni Politiſcher Philoſophus, & Dn. Præſ. Tr. de Prudentia Studendi Jura.*

§. X.

Ex Puſendorff.

Qui juri dicundo præficiuntur, quibusvis facilem acceſſum præbeant, plebem ab oppresſionibus potentiorum protegant; jus æquè pauperi & humili, quam potenti & gratioſo, dicant; lites ultra necesſitatem non extrahant; à corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibeant, omnesque affectus, ſinceritatem judicii corrumpentes, ſeponant; rectè faciendo neminem timeant.

EXE-

EXEGESIS.

§. 10. *De officio judicum & JCtorum.*

Magna justitiæ vis, necessitas & utilitas existit, & hæc unica, uti sæpius alibi dictum, causa est, quare Reges, Principes, omnisque potestas summa à Deo est constituta: proinde ii, qui juri dicundo à Principe sunt præfecti, omnem ingenii nervum eo intendere debent, ut, remoto omni personarum respectu, immobile juris & æqui fundamentum observent: justitia namque pura & simplex est, quæ omnem istiusmodi respectum respuit: Sit adeo Judex (1.) castus & pudicus, (2.) perquisitus & eruditus, (3.) taciturnus & secretus, (4) habitu & cultu modestus, (5.) incessu compositus, (6.) solitarius, (7.) aspectu vehementi & formidabili malis, (8.) oculatus Argus, (9.) humilis & non superbus, (10.) reverendæ tristitiæ, (11.) gravis sine fastu, (12.) sanctus, (13.) severus, (14.) incorruptus, (15.) inadulabilis, (16.) immisericors contra improbos, foris & intus charitate plenus, (17.) inexorabilis, erectus & arduus, (18.) vi & majestate potens, (19.) æquitate & veritate terrificus, (20.) librorum cumulo circumdatus & studens, quo de confer. *Gabriel Alvaretz de Velasco in Tr. de Judice perfecto.* Præterea non tantum patria & communia, verum cumprimis naturalia jura exactissimè tenere debet. Munera non accipiat, justitiam strenuè exerceat, amicabilem in omnibus causis compositionem tentet, jurisdictionem Principis maxime conservet, nec, ut inde quis eximatur, admittat, causam legitimo ordine pertractet, lites abbreviet. *Conf. Dn. Præs. tr. de Prudent. Legisl. §. 47. & Intr. ad Stud. Jurispr. §. 10.* Nulla enim gravior calamitas Rempubl. afficere potest, quam quæ ex diuturnitate processuum & temerario litigandi pruritu resultat. *Rec. Imp. de An. 1654. §. 34.* Rectè pariter monet Autor, judicem, sepositis omnibus affectibus, sinceritatem judicii corrumpentibus, in cognoscendis causis maximam adhibere diligentiam debere: cum enim facta sint infinita, quorum

levis-

levissima circumstantia non quidem jus, sed tamen applicationem juris variare & alterare potest, adeoque præsuppositis justi principiis, quæ judex exactè calleat, singulæ in quocunque casu circumstantiæ accuratissimè sunt ponderandæ; facit huc famosus ille versiculus, quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. *Confer. Dn. Præs. Tract. de Prudentia Legislatoria §.47.*

§. XI. & XII.

Ex Pufendorff.

Quibus armorum cura commissa, milites diligenter & tempestivè exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment, disciplinam militarem sartam tectamque habeant, milites hosti jugulandos temere non objiciant; annonam & stipendium, quantum in se, promtè procurent; nec de eo quicquam intervertant; milites semper ut Reipublicæ faveant, curent, nec unquam eos sibi adversus Rempublicam concilient. Milites contra stipendiis suis contenti sint; ab expilandis & vexandis paganis abstineant; labores pro tuenda Republica libenter & strenuè obeant; pericula per temeritatem non arcessant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hostem, non in commilitones ostentent; stationem assignatam mascule defendant, honestam mortem turpi fuga & vitæ præferant.

EXE-

EXEGESIS.

§. 11. *De arte & officio militantium.*

Exercent summi Principes jura sua in subditos per imperium, in extraneos, superiorem non agnoscentes, per bellum, siquidem sine hoc nec Respubl. læsa defendi, nec jura ablata repeti possunt, ut adeo de justitia bellorum, quippe quæ nihil aliud, quam legitimam juris nostri tuitionem, involvunt, nullatenus dubitandum sit: at prudentia politica suadet, non temerè provolandum esse ad extremum hocce, quod ingens generi humano infert vulnus, remedium. Rectè ait *Cicero de Offic. cap. 1.* Cum duo sint genera disceptandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet priore. Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet, vera est & *Terentii* vox: Bellum incipere facillimum, finire difficillimum est. Præsupponit bellum justissimam causam, quæ ex sola injuria nascitur, suasorias causas ad bellum non sufficere, plenius exponit *Dn. Praes. in Tr. Jur. Nat. cap. 9. §. ult.* Cum autem in media pace de bello cogitandum, siquidem, monente *Tacito*, inter impotentes & validos falso quiescas. Is adeò, qui negotiis bellicis præfectus est, accuratè sciat, quomodo arces recte muniendæ, erigendæque munitiones, quomodo tuenda sint confinia, quibus tam bello quam pace præsidiis sarta tectaque conservanda: sciat exacte arma, armorumque genera, exercitia & omnem antiquorum rationem præliandi. Quæ nimirum cum præsenti rerum temporumque statu & conditione comparabit. Intelliget unius & alterius discrimen: equitum turmas & peditum cohortes suo ordine disponet: & quæ gens aut natio quave in re præstet aliis, & quæ denique his vel emendandis, vel immutandis via inveniatur, non ignorabit. Noscet egregie sui Principis vires & ejus hostium, sive adversariorum: & utræque quantæ futuræ essent, si sociorum adjungerentur potentiæ, aut quantæ

rursus,

rurſus, ſi illa deſtituerentur. Quid poſtremo in præſentiarum valeant, & quid progreſſu temporis valere queant, circumſpiciet animo, tenebitque memoria præterita ſui Principis & majorum bella, & prælia univerſa, quæ videlicet principia, progreſſus, conſecutiones & eventus ſortita ſint, & quid qualesque res, & cauſæ, ad dandas & accipiendas utrinque conditiones, eos traxerint: attendet hoſtium vicinos, ſocios, confœderatos, & qui inimici eſſe poſſent. Nam demum eo modo non difficile erit judicare, ſi majores hoſtium fuerint vires, ut potius pacem quam bellum poſcamus: & ſi erit ſecus, ut item contrarium experiamur. Et, ſi forte hoſtibus ſumus inferiores, quibus rebus, an armis, an vero uſu & exercitatione bellandi, an ducibus, præfectis, an pecuniis, an opinione & fama, amicis & ſociis, an comitatu, an rebus ſimilibus, disquirendum. Omnibus autem his rite examinatis & perſpectis, acute & prudenter inveſtigabit, quo facto fieri poſſet, ut non ſolum nos ab hoſte tueamur, ſed adeo fatigemus atque debellemus ipſum hoſtem. Eſt enim certum, viribus & potentia præſtare intellectum. Præterea ſciendum, quibus præſidiis inſtructum eſſe oporteat militem, quibus centurionem, quibus ducem, quibus armis debeat indui, quomodo colligendæ ſint copiæ, quomodo ductandæ, quomodo metanda caſtra, quomodo confligendum ſit, quomodo canendum receptui, aut verò hoſtis fugiens perſequendus: præſtetne expectare adventantem domi, an in hoſtico aggredi hoſtẽ: quid demũ exorto bello, quid ante & confecto prælio, ſive vincas ſive vincare, evenire poſſit, pariter conſiderandum, & huc ſpectant, quæ Autor circa officia militaria monet. *Conf. Seccend.* Beſtallung eines Obri*Commend. ſub n. 7.*

§. XII.
Ex Pufendorff.

Quorum opera civitas apud exteros utitur, cauti ſint & circumſpecti, inania à ſolidis, vera

 à fa-

à fabulosis discernere callidi, secretorum tenacissimi, pro utilitate suæ civitatis adversus quaslibet corruptiones obstinati.

EXEGESIS.

§. 12. *De officio legatorum remissive.*

Magna citra dubium legatorum, qui Principum personam repræsentant, dignitas, vis & autoritas est, quorum sanctimonia, sive belli sive pacis tempora respicias, ex ipsis naturæ legibus resultat. Ut enim bello tandem aliquando finis imponatur, & ut commercia, fœdera aliaque negotia publica cum maximo publici fructu stabiliantur, necessum erat, aliquas personas, ad ineundam pacem instructas, singulari immunitate & inviolabilitate muniri. Quo graviora igitur sunt publica, quæ totum territorium statumque publicum tangunt, negotia, eo major fides, dexteritas, experientia, autoritas, candor & non simulata philosophia in legato requiritur, quo de pluribus quidem ex professo agi posset, nisi præter alios *Kulpisius* & *Wicquefortius* integris hanc materiam, quæ tamen, si ceremonialia spectes, multifariis exposita mutationibus, tractatibus exhibuissent.

§. XIII.

Ex Pufendorff.

Qui opibus civitatis colligendis aut dispensandis præsunt, caveant ab omni non necessaria acerbitate, nec ob proprium quæstum, aut per petulantiam vel malignitatem animi, oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid solvendum, illis citra moras non necessarias satisfaciant.

EXE-

EXEGESIS.

Debet Princeps Rempubl. & belli & pacis temporibus tueri: cum verò infiniti ad hunc finem consequendum sumtus sint impendendi, opibus enim est opus, sine quibus nihil fit, quod est opus, proinde subditi, uti tranquillitatem anhelant, ita quoque sumtus, ad hunc scopum necessarios, expendere debent: non tamen plus extorqueri debet, quam necessitates & insignes Reipubl. utilitates requirunt, & ità hæc onera, quantum fieri potest, temperanda sunt, ut quam minimè cives iisdem affligantur. Deinde necessum est, ut istiusmodi sumtus & onera præstanda justa in proportione describantur, nec aliquibus civibus immunitates in fraudem & oppressionem reliquorum concedantur: tum quæ collecta sunt in usus Reipubl. impendantur, non per luxuriam, largitiones superfluas, ostentationem aut inania dissipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus respondeant, & qua hi non pertingunt, à parsimonia & circumcisis sumtibus non necessariis subsidium petendum. *vid. Autor. nostr. in Tract. de Offic. lib. 2. cap.* 11. *§.* 10. Incumbet igitur iis, qui colligendis aut dispensandis opibus civitatis præfecti sunt, cura omnium proventuum Principis tam descriptorum quam extraordinariorum: & quomodo congregare, custodire, tueri, amplificare ipsos proventus oporteat. Quomodo etiam extraordinarii sint exigendi, unde, quo tempore: postremò qua ratione tributum ipsum imperandum sit, & quo pacto imponi, augeri & promulgari sine damno & querela populorum queat. Nec verò non & illud advertendum est, ut etiam ea, quæ aut superflua, aut injusta, aut nociva & odiosa sunt, abrogentur; indeque cum robur civitatis in virtute & opibus civium consistat, &, si subditi sunt divites, Princeps uberrimum peculium teneat, providendum erit, ut res familiaris civium gliscat. Ad hunc finem facit cives disponere, ut uberem proventum, si hoc qualitas territorii admittit, ex

§. 13. De arte & officiis Cameræ præfectorum.

terra & aquis capiant, ut, quæ apud ipsos proveniunt, materiis industriam adhibeant, aut quem ipsi commodè laborem obire possunt, ab aliis non redimant, quod fit, si artes mechanicæ foveantur. Maximi quoque est momenti mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere, nec ignavia solum proscribenda, sed & ad parsimoniam revocandi cives per leges sumtuarias, quibus superflui sumtus prohibeantur, imprimis illi, per quos opes civium ad exteros transferuntur. Etsi majorem heic, quam quævis leges, efficaciam obtinent summorum imperantium exempla. Præstabit autem, nec inconsultum erit, si aliqualia summatim fundamenta, quomodo incrementa civitatum & regionum promoveri possint, adducamus. Et cum in multitudine civium, commercia exercentium, nervus Reipubl. consistat, proinde rustici iique opifices, qui commerciis suis, vulgò denen Manufacturen/ pecuniam in Rempubl. inferunt, multiplicandi. Per reædificationem desertorum in Republ. locorum reditus augentur, extranei alliciuntur, hospitationes diminuuntur, onera in plures pro commodo plurimorum dividuntur: quo nomine utile, si exules recipiantur & privilegiis afficiantur. Per agriculturam citra dubium commoda Reipublicæ maxime promoventur, quem in finem qualitas & natura fundi, an saxosus, an salebrosus, an arenosus, investigari debet: prata arboribus pomiferis circumdanda: cumprimis verò res pecuaria, &, ut generosi optimique equi in Republica alantur & propagentur, prospiciendum. Ovium cultura quoad lanam, lac & fimum infinitum præstat usum: idem de metallifodinis & sale dicendum, quales naturæ thesauri abditique recessus magis magisque inquiri, & in optimo conservari debebant statu. Per commercia jam dicta, quæ vocamus die Manufacturen/ infiniti homines sua capiunt alimenta, utileque esset, si societates mercatoriæ stabilirentur. Quod academiæ mirum in modum incrementa civitatum promoveant, experientia sat evincit. Ars braxatoria multas con-

servat

servat civitates. Artifices rariqueopifices omni ratione conquirendi, eoque ulterius ſpectant, quæ in curioſo tractatu, vulgò einer Probe/ wie ein Regent Land und Leute verbeſſern/ des Landes Gewerbe und Nahrung erheben/ ſeine Gefälle und Einkommen ſonder Ruin derer Unterthanen billig-mäſſiger Weiſe vermehren/ und ſich dadurch in Macht und Anſehen ſetzen könne/ plenius refert *Dn. Leib.* von denen banco, von des Hn. Baron Schröders Landesfürſten Wechſel/ von denen montibus pietatis, von der Feuer-Caſſe / vom Müntz-Weſen/ *Conf. Dn. Badin.* in der Fürſtl. Macht-Kunſt/ *Brunn. diſſ. de Increm. civitat. & Dn. Præſid. Tr. de Juriſpr. Illuſtr. §. ult. ut & Dn. Seccendorff.* Beſtallung eines Cammer-Raths oder Directoris bey der Rent-Cammer *ſub n. IV.*

§. XIV.

Poſſet jam quidem de artibus & officiis opificum, ruſticorum aliorumque plenius pluribusque agi, niſi temporis ſpatio excluſus Diſſertationi meæ finem imponere cogat: Jura opificum fuſe exhibuit Bayerus in ſpeciali tractatu. Interea hæc pro aliquali ſpecimine academico ſufficiant; DEO autem triuni, qui fons, caput & autor omnis boni, omnis juſti eſt, immortales pro beneficiis mihi conceſſis gratias perſolvo, Eique me measque actiones devotiſſime commendo. *Epilogus.*



COROLLARIA.

I.

NObilitas naturali rationi conveniens eſt.

II.

Status Imperii Nobiles creare poſſunt.

III.

III.

Nobilis in uno regno, eſt etiam talis in alio.

IV.

Adoptio, à nobili facta, adoptato ignobili non confert nobilitatem.

V.

Nobiles immediati non ſunt ſtatus Imperii.

VI.

Teſtamenta ſtatuum Imperii valent etiam ſine ſolennitatibus Juris Civilis.

VII.

Tranſitus innoxius denegari nequit, & eſt Juris Naturæ.

VIII.

Status Imperii propriè non ſunt ſubditi, quia ſunt Coimperantes.

IX.

Stat⁹ Imperii habent jus civitates condendi.

X.

Status Imperii poſſunt certis in caſibus fœdera pangere contra Imperatorem.

XI.

Victor in expenſas condemnari poteſt.

